

## † R. P. Aemilius De Ronne (1867–1933)

*(Eiusdem Prov. Belg.)*

R. P. Aemilius De Ronne, qui d. 16 Ian. 1867 natus est in civitatis Gandavensis suburbio Sint-Amandsberg, ibidem in collegio nostro ad B. M. V. Septem Dolorum supremum diem obiit d. 12 Nov. 1933. In vita et praesertim in diuturno morbo fortitudine et caritate fuit insignis, quo circa de eo dici potest, quod non tantum praedicando, sed etiam patiando animas salvas fecit.



Vigesimum unum annum agens Congregationi SS. Redemptoris nomen dedit et d. 6 Oct. 1889 professione religiosa Trudonopoli inter eius filios connumerari meruit; deinde Pulchrumiugum sese contulit, ut philosophiae et theologiae operam navaret et d. 3 Oct. 1893 ad sacrum presbyteratus ordinem evectus est.

Ad munus missionarii rite ac fructuose obeundum optima indole eximiisque qualitatibus ditatus erat. Modus dicendi concisus, eloquentiae vis et gravitas omnium qui eum audiebant animos permovebant. In conversatione semper affabilis, hilaris, omnium corda ad se alliciebat. Hinc missionali operi se totum dedit et indefessum zelum manifestavit, praesertim cum Director archiconfraternitatis S. Familiae Leodii est renunciatus. Tanto ardore laborabat ibidem, ut mox numerus sodalium cresceret et concursus ad conventum hebdomadarium fieret frequentissimus.

Anno 1901 in Vice-Provinciam Africanam Congensem nuperrime fundatam mittitur, a paucis sodalibus, permulto arduoque labore defatigatis, ingenti cum gaudio exceptus. Iam post aliquot menses linguam indigenam satis sciens ac divini Salvatoris animarumque ab eo redemptarum amore exagitatus, forti animo et aliquando fulgurans tonansque in praelia contra hostem infernalem processit. Magistri divini vestigia sequens multa itinera fecit, oves perituras quaerens, ut ad unicum ovile eas adduceret.

Sic igitur per 28 annos in laboribus evangelicis apud Nigritas Africanos idolorum cultui, polygamiae pessimisque superstitionibus deditos sub ardenti illo mortiferoque sole, strenue ac naviter desudavit. Per tres annos etiam munere Vice-Provincialis fungebatur, per alios multos fuit Superior alicuius stationis missionalis et anno 1928 Director secundi novitiatus iuniorum Patrum in Nsona Mbata.

Quo tempore Summus Pontifex Pius X, ortis controversiis circa dispositiones requisitas ad frequentem et quotidianam communionem, hanc quaestionem diremit accessum ad S. Synaxim quam latissime omnibus aperiendo, R. P. De Ronne frequentem et quotidianam communionem etiam inter Nigritas Vicariatus Apostolici *de Matadi* quam maxime promovit.

A medico ut curam daret conservandae sanitati monitus, in patriam rediit et ultimos vitae annos in valetudinario Collegii Gandensis degit, paralysi spinae dorsalis, quae crura eius reddebat immobilia, continuo cruciatus, attamen die noctuque orans. Satis erat ad pacem ipsi reddendam verbulum eius confessarii: « Cuncta pro Deo — pro Congregatione — pro Christifidelibus a te baptizatis in missione Congensi ».

Ad ultimum usque momentum vitae suae, mentis omnino compos, his verbis Psalmistae multoties invisentes confratres allocutus est: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?*

Tandem, d. 12 Nov. 1933, media fere nocte, obdormivit in Domino. Iam a pluribus diebus, propter crescentem debilitatem cordis mortem praesentiens, sponte postulaverat ultima sacramenta, quae magna cum devotione suscepit. Mors fuit tranquilla, absque ullo corporis vel animi angore. Speramus igitur eum illo praemio iam frui in caelo, quod ipse Redemptor promisit omnibus in finem perseverantibus.

R. I. P.